

Kern

231 (1-34)

24

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
DIFFERENTIA GRADVALI
MORBORVM MALIGNORVM

QVAM
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

D. ANDREA NVNN,

SACRI PALAT. CAESAR. COM. FACVLTAT. MEDICAE PROFESS.
ET ASSESSOR. PRIMAR. ORDINIS PHILOSOPHIC. NEC NON
ACADEM. ELECTOR. MOGVNT. SCIENTIAR. VTIL.
ASSESS. ORDINAR. CIVITAT. ERFORDIENS.
CONSVLE AC PHYSICO.

PRO GRADV DOCTORIS
LEGITIME IMPETRANDO

DIE XX. APRIL.

H. L. Q. C.

PVBLCICE DEFENDET

AVTOR ET RESPONDENS

MARTINVS GOTTLIEB FRONIYS

CORGNA-TRANSYLVANYS SAXO.
ERFORDIAE MDCCLXV.

STANNO NONNIANO, ACAD. TYPOGR.

DISERTATIO INAVOCABILIS MEDICA

DE

DISERTATIONE INAVOCABILIS MEDICA

DE DISERTATIONE INAVOCABILIS MEDICA

DISERTATIO INAVOCABILIS MEDICA

Celsus Praef. lib. I. p. IV.

Non credunt posse eum scire quomodo morbos curare
conueniat, qui, unde hi sint, ignoret,





DE
MORBORVM MALIGNORVM DIFFERENTIA
GRADVALI GENERATIM.

PROOEMIUM.



Facturusne operae pretium sim, si diuersita-
rem morborum malignorum paullo accu-
rarius euoluerim; nec satis scio, nec, si
sciam, dicere ausim. Veterem & vulgatam esse rem vi-
deo. Noui quoque scriptores, qui aut hac in re certius
aliquid adlaturus se, aut scribendi arte rudem vetusta-
tem superaturos credunt. Vt cumque erit, iunabit ta-
men indagazione materiae, cuius vsus in medicina theo-
retica aequae ac practica eximius est, pro virili parte, &
me ipsum consuluisse; & si in tanta scriptorum turba

A

mea

mea fama in obscuro sit, & dignitate materiae, & nobilitate ac magnitudine eorum, meo quoniam officient, me concolor. Res est praeterea tanti momenti, ut vix absolueret tantum opus mediocri ingenii mei vires posse videantur. Hoc autem mihi nunc laboris iniungo, ut primis principiis, ex serie observationum haustis, illorum denique commoda applicatione rationalem theoriam, sed iusto brevior, eam condam. Super sunt observationes clarorum virorum, sed pleraeque ita comparatae, ut vix necessarias ferre possint suppetias. Hoc enim quod praecipue in cognitione horum morborum salubre ac frugiferum, deficit, quippe quum mixtionis & mutationis in mixtis fluidis possibilis vix ulla habita est ratio. Inde tamen potissimum oritur lumen, quod imitari, est omnino necesse. Haec itaque animaduversa diligentius nos docent, acriter ad Chemiam animum intendi debere. Leges miscibilium non alia quam diuina haec scientia euoluit. Sed laudes huius cognitionis angusta pagina minime capit. Vereor insuper, ne orationis huius pomoria excedam. Cum bonis potius ominibus, votisque ac precationibus diuini Numinis incipio, ut omnia prospera det beetque omnes omnium successus! vale, Lector beneuole, mihi que fauere perge!



CA-

CAPVT PRIMVM.

DE

MORBIS MALIGNIS IN GENERE.

§. I.

Quotidiana fere inter phaenomena refertur, sanum
 sospitemque a scabioso hac lue inquinari; siue
 is eodem, cum illo, cubuerit lecto, siue alio ad-
 huc modo contactus arctior factus fuerit, nulla tamen
 caussa alia, quæ manifesta dici posset, ad corpus admis-
 sa. Variolæ, quæ virus suum sapissime aliis commu-
 nicant, pestis, denique morbi, quorum enumeratio nimis
 prolixa foret, huius propositionis veritatem pariter lucu-
 lenter demonstrant.

§. II.

Dari itaque morbos, qui sui communicabiles sunt,
 seu qui ex vno corpore in aliud transmigrando ibi si-
 milem producant, ex præcedente §pho facile colligere
 licet.

§. III.

Morbus, in quo materia est, cuius translatione ad
 aliud subiectum in hoc quoque similis producitur mor-
 bus, vocatur malignus.

Consona, vt opinor, hæc definitio vsui loquendi
 est, vt etiam videre licet ex *Celeberrimi* D. NIETZKE
 & *Illustris* BÜCHNERI *Fundament. Patbol. general. Sect. I.*
Cap. 17. p. 1. Ipsa etiam maligni notio argumentum

A 2

latis

fatis clare euincit, vt ad peculiarem probationem refugere non fit opus. Id quidem primo quoque intuita B. L. propositio noſtra indicat, definitionem jam formatam eſſe nominalem. Neque enim eſt nobis conſilium, realem condere, reſeruaturi hanc loco magis idoneo. Solemne autem eſſe nos non fugit, malignorum nomine morborum a plerisque deſignari morbos, vbi in ſummo aegri vitae verſantur diſcrimine. Sed latius mihi hoc titulo extendere notionem malignitatis auctores videntur, cuius tamen fixam eſſe volumus ſignificationem, licet non proſus omni deſtitutione id ſibi perſuaſum eant.

§. IV.

Iam his, quæ in §. anteced. dicta fuere, hiſque ſimilibus rite examinatis, omnium primum conſtabit, morbum malignum eſſe morbum fluidorum. Morbus enim malignus eſt morbus, cui vis contagii competit, ſeu qui morbum ſui ſimilem in alio producere valet. Productio autem eſt actio. Agere ergo morbum in corpus debere producturum ſimilem ſui, nullum eſt dubium. Nulla corporis in corpus actio fieri poteſt niſi motu (per principia Phyſ.) Per motum igitur etiam morbus malignus alium producere debet. Ergo corpus agens neceſſario non in motu tantum conſtitutum ſit oportet, ſed etiam ex vno corpore ad aliud moueri, illudque contingere debet; quum actio in diſtans non detur (per princip. Metaphyſ.). Solida ex vno corpore ad aliud ſponte moueri non poſſunt. Hinc ſequitur, hunc motum tantum fluidis attribui poſſe. Fluida

da itaque solum, quatenus ex vno corpore mouentur ad alterum, similem producere valebunt morbum. Hoc modo argumenti veritas elucescit.

§. V.

Si fluida corporis humani viui eaque sola vi polent morbum sui similem producendi; si verum est, morbum esse statum corporis non naturalem, id quoque verum erit, fluida morbum malignum producere posse, quatenus sunt praeter naturam mutata. Causa enim & effectus sibi semper esse debent proportionales (per princip. Metaphys.)

§. VI.

Fluida corporis humani viui praeter naturam ita mutata, vt apta sint sui simile determinare in alio corpore, materiae malignae vel miasmatis nomine insigniri solent.

§. VII.

Morbus malignus a mixtione fluidorum corporis humani viui praeter naturam mutata pendet. Morbi enim, qui producuntur a fluidis vitio affectis, vel qualitate, vel quantitate, vel motum eorumdem respiciunt. Fluida autem quatenus quantitate vel motu peccant, morbum malignum procreare nequeunt, licet alia producant morborum genera (per princ. Path.). Morbus igitur malignus relationem tantum ad qualitatem fluidorum vitiosam habet, quae quum ad mixtionem fluidorum pertineat (cuius notionem constituit) morbum malignum ad morbos qualitatis mutatae vel mixtionis deprauatae pertinere inde apparebit.

§. VIII.

Quum morbi maligni differentia specifica sit propagatio ad aliud corpus, cuius omnino capax est, per fluida tantum corporis humani possibilis quatenus morbosa, nam secus non esset morbus, hinc inde patet, in alio quoque corpore, cui labes inferitur, similem oriri debere mixtionis deprauationem, si similis oritur morbus. (A similitudine enim causae ad similes effectus valet ratiocinatio per princip. Log.)

§. IX.

Non est fortasse operae pretium, illis diutius incumbere, quae instar principiorum probandi haberi possunt, his maximo futura vsui, qui propagationis varios modos materiae malignae demonstrare volunt. Pathologia haec omnia nos docet, vt enumerare ea non sit necesse. Igitur potissima asserti nostri momenta prosequamur vltimus.

§. X.

Morbus malignus est morbus fluidorum, quae per notionem fluidorum secretorum magis sunt determinata. Fluida corporis humani in vniuersum vel sunt secreta, vel non. Fluidum illud, quod non est secretum, sanguis est (per princip. Physiol.). Sed omnis emuncta naris, qui non plane tyrocinia medica studet, scit, sanguinem qua talem per vasa inhalantia ad massam humorum haud posse deuehi. Hinc sanguis etiam in corpore humano viuo, licet morbosus sit, eundem morbum in alio corpore producere haud poterit; nam delatio ad massam fluidorum est impossibilis, quae tamen necessa-
ria

ria est ad productionem morbi. Sed ea est fluidorum secretorum indoles, vt de illis resorptio per vasa bibula adeoque & delatio ad massam sanguineam praedicari possit. Ergo quoque patet, morbum malignum esse morbum fluidorum secretorum.

§. XI.

Nunc facile erit probare, morbum malignum omnium maxime in deprauata mixtione fluidi lymphatico-ferosi consistere. Excretio enim materiae malignae & delatio excreti ad aliud corpus sunt illae conditiones, sine quibus nulla fieri potest propagatio morbi maligni. Corpus autem alterum in superficie eiusdem solummodo contingi potest (per princip. Phyl.). Ergo excretionem quaedam peripherica opus erit, seu quae fit in externis corporis partibus. Sed in his locis praeter fluidum lymphatico-ferosum nullum aliud ordinarie excernitur, hinc igitur clarum est, morbum malignum praecipue fluido lymphatico-feroso inexistere.

§. XII.

Fraemissis itaque, quae praemitti ratio institui flagitabat, nunc definitioni reali studendum mihi erit, vt omni parte officio meo rite fungar. Ante tamen quam illam in medium producam, propositionem interfere re partium mearum esse duco, quae viam velut definitioni nostrae, presso pede sequutur, sumere videtur.

§. XIII.

Fieri potest, vt in omnibus partibus corporis humani viui, siue solidae fuerint, siue fluidae, putrefactio oriatur, & tum generari debent sales vrinosi seu alcali vol.

Che-

Chemia & Pathologia assertum hocce quam maxime fulciunt, vt non esse putemus necesse, peculiari incedere probatione.

Obiici autem a quibusdam poterit, in corpore humano viuo perfectam putrefactionem oriri non posse, sed illam potius post mortem, sufflaminato nimirum sanguinis atque humorum motu, prouenire. Sed nullo negotio hoc dubium remoueri potest per dogmata Physiologiae & Chemiae. Experientia enim edocescimus, saluam reliquosque humores lymphatico-serosos illi similes, additos corporibus fermentationi aptis, inter quae fere omnia cibaria & potulenta nostra referas, iam extra corpus excitare fermentationem, vel si mauis, motum intestinum, quo noua mixti species excluditur; hinc autem cogitare quibus facile potest, motum intestinum intra corpus continuo calore, actione solidorum continua, nec non commixtione fluidorum diuersa indolis fieri maiorem. Quid autem haec profers? Nonne chylus pariter ac sanguis fluida sunt diuersa qualitibus tam extrinsecis quam intrinsecis ab iisdem materiis, quae adsumimus nutritioni corporis consulturi. Haec certe manifesta de motu intestino sunt testimonia. Si ergo verum est, quod continuus adsit in fluidis nostris motus intestinalis; si verum est denique, putrefactionem esse motum intestinum maioris gradus (vel speciei lusus motus): certissima tunc erit sententia, putrefactionem in corpore humano viuo esse possibilem. Id autem adhuc monere oportet, mitiorem putrefactionis gradum quoque esse putrefactionem. Sed palmarium

riūm testimonium praesertim \ominus alc. vol. in massis corporis humani corruptis praebet. Hoc enim oritur vel putrefactione vel per siccam obtinetur destillationem. Sed hic modus ad corpus humanum adplicari nequit. Ergo vt per putrefactionem ortum sit, oportet.

§. XIV.

Putrefactio fluidorum, praecipue autem fluidi lymphatico-serosi; diuersi gradus, sistit morbum malignum. Praeuio enim contactu absolui propagatio morbi maligni debet, adeoque necesse est, vt miasma fluidum excretum alio corpori communicetur. Nihil autem in superficie corporis praeter fluidum lymphatico-serosum excernitur. Quam ob rem exinde definitionis nostrae realitas probari potest. De possibilitate putrefactionis fluidi lymphatico-serosi §. XIII. quaedam continet, sed id magis adhuc conspicuum fiet in seqq.

§. XV.

Si itaque per putrefactionem nullum aliud sal nisi vrinofum vel alcali volatile oriri potest (per princip. Chemiae), tum facile erit intelligere, in morbis malignis cuiuscunque etiam fuerint generis, miasma quaerendum esse in \ominus alcalino volatili. Nonne enim essentia morbi maligni est putrefactio fluidorum eorumque potissimum lymphatico-serosorum. Sed per putrefactionem sal alcalicus volatilis euoluitur. Ea ergo demonstrationem asseri omnibus numeris absolutam!

§. XVI.

Miasma quatenus in alio eundem producit morbum, vt alcali etiam eiusdem speciei producat necesse est (per §. anteccd.)

B

§. XVII.

§. XVII.

In quocunque igitur morbo putrefactio massae lymphatico-ferosae, adeoque & sal alcali volatile locum obtinet, eundem inter malignos referre qui dubitet scio neminem.

§. XVIII.

Amplissimus se hic oculis offert campus. Ortum enim salis alcalici volatilis eiusque possibilitatem, quinimo actualitatem in casu, qui malignum spectat, longo verborum firmate delineare possem, hinc simul de motu intestino atque fermentatione multa proferre, nisi arctis concludere hoc opus cancellis sententia saret. Ea potius, quae proxime, ut aiunt, propositioni nostrae inseruiunt, paullo diligentius tractatum eam. Spero insuper fore, ut omnis rei medicae peritus consecraria propositionum formare, & si Chemiae non rudis sit, vno velut intuitu veritatem iam iam dictorum perspicere possit.

§. XIX.

Hactenus de morbis malignis ea tantum euoluta fuerit, quae ex generico conceptu eorum fluunt; quippe oportebat ea praemitti, quae ex ipsa notione maligni quae talis deduci poterant, priusquam illorum institueretur examen praedicatorum, quae differentiam horum morborum a se inuicem spectant. Ut itaque omnia perspicua fiant, nostrum erit, de differenti specie morborum malignorum quaedam addere tamquam fonte symptomatum & graduum diuerforum, & de subiectis hisce morbis de- tentis.

§. XX.

Sunt inter morbos malignos, in quibus fluida sunt fere

fere spiffa magis & inuiscata, vt in lue venerea, scorbuto, cet. Sed reperiuntur in hac classe morbi eius indolis, vt maxima fluidis infit rarefactio. Huius loci sunt pestis & diuersae species februm malignarum.

§ XXI.

Morbi maligni, qui inspiffationem fluidorum sibi iunctam habent, vocantur morbi maligni chronici; morbi autem maligni, quorum miasma fluidis rarefactis inhaeret, acutorum sortiuntur nomen. Sed diuersos gradus huius visciditatis humorum, vel tenuitatis, possibiles esse, nullus dubitabit, cuius animum subit cogitatio, diuersum esse vitae genus, determinationes diuersas, quae indiuidualem subiecti statum concernunt, varia denique caeli climata. Omnia haec diuersimode modificare mixtionem humorum eiusque consistentiam possunt. Nonne qualeso temperies, quae cholericæ vocatur, fluida magis spiffa habet. Sed spiffior tamen humorum massa reperiri solet in melancholicis. Sed plura de hac materia in medium proferre, esset tempus terere, etenim vulgatum regulis physiologicis hoc argumentum est.

§. XXII.

Motus progressiuus, qui in fluidis corporis humani obtinet, a consistentia horum fluidorum pariter ac a vi cordis & arteriarum vna cum elasticitate vel aptitudine vasorum vario modo modificatur (per princip. Physiol.) si itaque vnum ex his vel duo simul vel omnia mutantur requisita, vt etiam motus progressiuus mutetur necesse est.

§. XXIII.

Verum itaque est, mutari motum progressiuum mu-

rata consistencia fluidorum. In fluidis viscidis atque tenacibus maior adest numerus punctorum contactus, maior itaque cohaesio, quam in statu naturali adesse deberet. Nam ad sanitatem requiritur cohaesio fluidorum certi cuiusdam gradus. Sed maior cohaesio impedit, quo minus conuenienti impetu fluida in parietes vasorum agere possint. Hinc dilatatio vasorum minor, quam minor quoque contractio sequitur, hinc motus quoque magis languidus. Deficit denique fluido spisso aptitudo permeandi canales. Augetur resistentia vasorum continuo, eademque aucta, imminuitur fluidorum motus. Altera autem languidi motus progressiui causa, quae in tenuitate fluidorum sita est, facile elucescit. Haec enim ob cohaesione minorem vasis non decenter resistunt, sed inde vasorum resistentia iusto maior fit, sed ad motum requiritur, vt vis maior sit resistentia, per regulas motus; ergo motus progressiuus lentior, quam opus est ad sanitatem, euadit, dum fluida sunt nimis tenuia.

Ingens mihi contra propositionem, quae in hoc § pho vltimo est, moueri posset dubium, nisi illam accuratius determinarem. Verum enim vero id certum est, fluida tenuia esse causam possibilem motus progressiui tardioris. Sed tunc saltem id de tenuitate humorum praedicari licet, quum nulla adhuc acrimonia mixtionem deprauatum iuerit. Quodsi enim iam hac labe affecta sint fluida, irritatio solidorum ab acri erit necessaria, cuiuscunque etiam speciei sit. Vasa excitata validiorem contractionem & celeriorem exserunt. Hinc motus progressiui insigne augmentum. Vnde enim
in

in febribus malignis tanta pulsuum frequentia? Acrimonia humorum est, vt scite in Pathol. demonstratur.

§. XXIV.

Morbos malignos chronicos inter atque acutos differentiam specificam vel inspissatio fluidorum vel eorundem rarefactio iuxta §. xx. constituit. Spissitudo sanguinis siue fluidi cuiuscunque inde secreti motum progressuum retardat. Quare etiam circulatio sanguinis in quocunque morbo maligno chronico tarda est. Contrarium autem inuenies in morbis malignis acutis. In his adest tenuitas humorum rarefactoria, coniuncta cum misasmate. Ista autem fluidorum conditio, stimulum addendo vasis, progressuum sanguinis humorumque in genere motum auget. Manifeste exinde patet, motum sanguinis in morbis malignis acutis esse celeriores.

§. XXV.

In morbis malignis acutis aucltus est motus circulatorius sanguinis (per §. anteced.), cuius causa non alia erit ac vasorum intensa actio, ex irritamento materiae malignae orta, vna cum rarefactione fluidi. Nihilominus insignis adest vasorum debilitas in hisce morbis. Supra enim in §. xxii. euictum est, in morbis acutis malignis vasa irritari, vnde frequentior arteriarum systole & subsequens diastole, hinc simul pulsus arteriarum frequentior. Quia autem ob aucltam vasorum actionem tensio fibrarum maior fit, necesse erit, vt tandem hae debilitentur (per princip. Pathol.); sed vasa ex fibris componi ex Physiol. clarum est. Quidquid itaque de fibris in genere valet, valebit etiam de fibris, quae vasa constituunt. Ma-

nifesta itaque erit propositionis veritas. Non vnica autem causa debilitatis vasorum est. Ea quoque alteram! In morbis malignis adest miasma, quod fermentationis putrefactoriae ope excluditur, hinc alcali volatile est; hoc autem fibrarum cohaesionem, motu putrefactorio videlicet, valdopere imminuit, hinc ex hoc fundamento etiam fibrarum oritur debilitatio.

§. XXVI.

Propositiones Pathol. docent, stases fluidorum a triplici causa oriri posse. Siue enim fluidorum ea sit constitutio, vt difficulter per canales suos moueantur, siue vasa ipsa sint debilia, siue tandem vis cordis atque arteriarum sit labefactata, tunc semper stasium ortus possibilis erit.

§. XXVII.

Fieri potest, vt in morbis malignis chronicis aequae ac acutis stases adeoque & obstructions vasorum suboriantur. Morbo maligno chronico competit inspissatio fluidorum (per §. xx.). Sed fluida spissa aegre tantum per vasa sua moueri possunt, hinc transitus magis magisque retardatus est, vnde stases in vasis minimis & obstructions proueniunt. Stasis enim in quiete fluidi per vasa vehendi consistit (per regul. pathol.). Sed in morbo maligno fluida summa vi inertiae pollent humores. Coacervatione igitur fluidi inertis viscosi in vasis facta fit stasis, cuius pedissequa est vasorum obstructio. In morbis malignis acutis vasa vehementer debilitari, partim ob actionem salium in se inuicem, vnde insignis rarefactio, partim ob alcali volatile, vidimus §. xxv. Sed ad transitum fluidi per vasa sua vasa apta requiruntur ad transmittendum. Nonne

ne ergo horum vitium, nonne inquam resistentia illorum minor, quam aduersus fluida exserunt, decubitus humorum ex iis potissimum locis causat, ubi maxima adest diffensio? Hic stases multiplices fieri necesse est omnino, remanente parte spissiore in locis respectiue debilioribus. Continua etiam praecipitatio particularum terrestrium, quae putrefactionem concomitatur, symbolam suam ad obstructions stasesque producendas confert. Non obstat itaque insignis etiam fluidorum rarefactio, quo minus stases oriantur & obstructions. Q. e. p.

Observationes communes id maxime confirmant. Tot enim inflammationes in acutis malignis ex obstructione vasorum ortum ducunt, ut superfluum sit, haec magis probare. Fit denique metastasis peccantis materiae in febribus acutis malignis ad loca maxime glandulosa, stasesque multiplices in his morbis. Haec asserunt nostrum extra omnem dubitationis ponunt aleam.

§. XXVIII.

Febrem definiri per spasimum periphericum cum pulsu celeri atque frequenti ex Pathologia notum est. Licebit itaque morbum quemcunque his stipatum symptomatibus febrem vocare.

Noli mirari L. B. nos definitione hac uti voluisse. Confer quaeſo *Viri Celeberrimi Doctoris NIETZKI* Pathol. Ex hac scaturigine illam hausi. Est omnino & positivae & negativae reciprocabilis, neque suo definito angustior: Ergo & logice vera erit. Sed caue, ne nefas esse putes, leuiorem horripilationem motusque le-
uio-

uiores nomine febris insigniri. Reuera enim sunt febres, si simul tantum pulsu celeri atque frequenti comitati fuerint. Varia fluidorum consistentia gradus etiam varios horripilationis determinat. Sed infra de hac materia quaedam dicentur. Dandum denique etiam aliquid esse puto diuersis determinationibus aegrorum in indiuiduali illorum statu positis.

§. XXIX.

Omnes morbi maligni acuti febre stipati esse debent; morbi vero maligni chronici minus. Vbi omnes notae, quae ad certam quandam rem constituendam requiruntur, praesto sunt, ibi etiam rem illam, cuius sunt notae, vt inuenies, necesse est per principia Ontol. Demonstrandum igitur mihi erit, in morbis malignis acutis praesentem esse spasmus periphericum cum pulsu celeri ac frequenti, siue adesse in his morbis cuncta ad febrem requisita. Euicta in §. xxvii. est possibilitas obstructionum in malignis acutis. Vbi obstructio in vase, ibi etiam distensio vasis necessaria. Posita autem distensione, poni quoque debet spasmus periphericus (per princ. Pathol.); posito enim vno connexorum, vt etiam alterum ponatur, oportet (per princ. Logic.). Spasmus periphericus pulsum celerem atque frequentem determinare valet. Praeterea ex demonstratis in §. xxiii. patet circulum sanguinis in morbo maligno acuto esse auctum, qui nunquam non pulsum celerem frequentemque comitem habet. Nonne igitur febris typica eiusmodi oriri poterit, licet spasmus periphericus sit exigui gradus? Nonne requisitum febris iam inexistit corpori? Sed in morbo maligno chronico

non

non omne id aderit, quod ad febrem constituendam necesse est. Aegre quidem fluida viscida vasa permeant, hinc oriuntur obstructions. Neque de spasmo peripherico dubitandum est, quam adsint, quae illum producere possunt, inertia e. g. fluidi, quae difficilem tantum transitum illi permittit. Circulus sanguinis fit inde tardior, inde & pulsus tardus, cuius tamen celeritas atque frequentia cum spasmo peripherico febrem constituit. Hinc quidem commotiones febriles adesse in morbis malignis patet, minime autem veram febrem.

§. XXX.

Miasma morborum malignorum alcalicae volatilis indolis est (per §. xv.). Non opinor itaque improbari posse, si illa praedicata, quae in genere competunt sali alcalino volatili, miasmatis quoque attribuantur. Quidquid enim de genere valet, valet etiam de quacunque specie, quae sub illo genere comprehenditur (iuxta princip. logic.)

§. XXXI.

In morbis malignis solida debilitari & per modum putrefactionis siue sepsos successiue destrui possunt. Primum huius propositionis membrum superius demonstratum est. Sed alterum probatione eget. Adesse alcali volatile in morbis malignis certum est. Ex Physiologia quoque constat, appositione nouarum particularum corpus nutriri & hoc modo ruinae praeueniri, quae in solidis ob frictionem perpetuam necessaria esset. Fluidum illud nutritium est fluidum lymphatico-serosum, sed quum huic maxime alcali volatile adhareat (per §. XIII.): faci-

C

le



le tum fieri potest, vt fluido hocce iam corrupto solida pariter putrefactionis labe infecta sensim sensimque destruantur pro diuersitate gradus, qui in motu intestino putrefactorio obrinet. Hoc modo itaque cohaesio primum imminuitur, donec solida parte in putrilaginem conuersa penitus extincta sit.

Et si vix puto esse, qui mihi obiiciant, propositionem nostram non esse vniuersaliter veram, cum dentur morbi maligni quam plurimi, iique acuti, in quibus destructio solidorum nec vlla animaduertatur; tamen vtile esse putauit, monere L. B. me non omnino confirmare velle putrefactionem solidorum in omnibus adesse morbis malignis tanti gradus, vt haec sensibus sese manifestet. Dantur varii putrefactionis gradus, & non est absolum assumere, cohaesionem in solidis, quatenus a miasmate, quod fluidis inest, pendet, iam esse putrefactionis gradum, quamuis non negem, illum esse mitissimum. Diuersitas, quae a gradu tantum dependet, in ipsa rei notione nihil mutare potest (praecip. Logic.). Praeterea ad conditionem quoque locorum affectorum aliasque circumstantias attendere est necesse, verum si formare velimus iudicium. Multis hanc sententiam illustrare possem exemplis; sed haec iam sufficient.

§. XXXII.

Causa diuersorum effectuum miasmatis in partibus solidis ab eorum qualitate pendet, in fluidis autem diuersa consistentia & qualitas diuersa fluidorum secretorum incensum venit. Concipias tibi fluidum tenue siue viscidum.

dum. Hoc certe aptum erit obuoluendae materiae malignae. Imminuitur ergo eius vis & ad agendum fere iners redditur. Sed fluidum viscidum obstructions caussare solet & stagnationes. Hoc modo miasma ligatum fluido spisso stagnante inhaerens, vim suam motu intestino fluidi huius absoluit. Ipsum autem fluidum stagnans vasorum parietes ab arrosione eius tuctur. Magis tragicam miasma agit scenam inhaerens fluidis rarefactis. Nihil vniuersali eius distributioni in corpus obitat, irritando vasa haec ipsa debilitat, in vasis congestum illa arrodit. Sed in vasis, quae fluidum vehunt, particulis oleosis & terrestribus abundans, insignem vis suae patitur iacturam miasma, obuoluitur enim sua acies his particulis, & lento tantum pede eundo, liberatis demum temporis longiore spatio salibus, putrefactionem determinat. Summa eius agendi facultas est in fluidis, in quorum mixtione particulae salinae praee aliis eminent. Quantam corruptionem arrosione facere, quam subitaneum saepe vitae periculum moliri potest! Ex his omnibus veritas propositionis nostrae patet, diuersos nimirum effectus miasmatis a diuersa fluidorum consistentia atque qualitate oriri.

Probare argumentum etiam exemplis nullo negotio possim, si solummodo diuersitatem putrefactionis in relatione ad gradus, tanquam effectus miasmatis in medium proferrem. Lente tantum in lue venerea, sed impigre eius actio procedit in scabie & maiori quoque cum impetu. Nonne autem fluidum lymphatico-ferosum magis viscidum est in lue venerea, quam in scabie?

bie? Cum obseruationes medicae mihi maxime faueant, his merito supersedeo.

§. XXXIII.

Inflammationem per vibrationem arteriarum perquam vehementem cum illarum distensione definiri ex Pathol. notum est. Hinc omne id, quod obstructionem in his vasis caussare potest, & distensioni vasorum adeoque & inflammationi ansam praebebit. Possibiles autem in morbis malignis sunt obstructiones. Ergo de possibilitate inflammationis quoque nemo dubitabit.

§. XXXIV.

Miasma vi pollet in vasis, quae fluidum seroso-lymphaticum in se continent, obstructionem aequae ac putrefactionem determinandi. Materia maligna praecipue fluido lymphatico-seroso inhaeret, quae quum instar fermenti sese habeat apti ad putrilaginem excitandam, vt in vasis lymphaticis quoque oriatur putrefactio, sequitur. In morbis malignis solida debilitari, ex antecedentibus patebit. Fluida igitur stagnationem concipere debent, hinc obstructionis origo necessaria.

§. XXXV.

Glandulas omnis generis organis adnumerari, secretioni fluidi lymphatico-serosi dicatis, Physiologia docet. Tenerrima in his locis vasa, tunica muskulosa plerumque destituta languidi motus testes sunt. His itaque partibus malignitatis vestigia in morbis huius tituli maxime imprimi debent. Oriuntur stases putridae. Sed viscerum ea est conditio, vt corpus penitus ex vasis contextum repraesentent. In his igitur inflammationes & stases multiplices oriri posse nemo ibit inficias,

Pro-

Pronitas febrium malignarum ad inflammationes procreandas, denique ulcera illa qualificata in chronicis malignis, exanthemata, quae sub varia forma in cute prodeunt, in febribus acutis malignis theoriae nostrae veritatem egregie illustrant.

§. XXXVI.

Sanguinis ad vasa encephali congestio in omnibus febribus observatur. Testimonii loco sunt observationes Medicorum & principia Pathologiae. In febribus autem malignis adest simul insignis humorum rarefactio, distensio vasorum & debilitas, quam in aliis maior, sed haec imprimis in vasis encephali obtinent, etiam decubitus humorum illa versus, velut ad loca respectiue debiliora, maior. Superat itaque gradus congestionis in febribus acutis malignis omnes, qui in aliis sunt febribus. Hinc vehementissima deliria, in quibusdam febribus malignis, summa praecordiorum anxietas, soporosi affectus.

§. XXXVII.

In morbis malignis acutis exanthemata varii generis in cute, in chronicis autem magis ulcera qualificata oriri possunt. Fluida in morbis acutis malignis valde rarefacta sunt, (per §.), in his itaque miasma aequaliter per corpus distribui poterit per massam sanguineam, adeoque facilius etiam a vasis, glandulis quoque cutaneis resorberi, partim etiam arrosione vasorum facta intra cellulosam recondi, hoc denique modo exanthemata in corporis perimetro varia producere. In malignis autem, qui chronici sunt, fluida sunt spissa & inuisicata, quae rationem in se continent, cur potius arrodendo in quibusdam tantum locis

cis agere materia maligna & vlcera determinare possit.

§. XXXVIII.

Officio meo ex parte ine iam functum esse puto, quum morborum malignorum, tam chronicorum quam acutorum indolem repraesentare studuerim. Fateor quidem, multa esse, quae adhuc de tam ampla materia dici possent. Sed omnia haec facili opera ex Pathologia iisque obseruationibus, quas rationales esse constat, erui possunt. Propositi mei ratio vetat, symptomatum varias mutationes & relationes ad se inuicem longa oratione enarrare. Erit potius vtile magis, contemplari specialiora. Itaque iam ad diversorum graduum in morbis malignis examen passus dirigo, consilium meum exsequutus.

CAPVT SECVNDVM.

DE GRADIBVS MALIGNITATIS IN MORBIS
MALIGNIS.

§. XXXIX.

In classe morborum malignorum etiam scabies & lues venerea reperiuntur. Scabies sese per pustulas cutaneas, molestum pruritus excitantes, manifestare solet. Licet autem haec irritatio continua incommoda sit aegris; tamen tolerabilis est, si luis venereae vel leprae effectus tibi repraesentes. Pessima quippe vlcera, ossa quoque, depastis cum insigni dolore musculosis glandulosisque locis, excedentia, macerant cruciatu aegrum, fractum paene tot tantisque malis. Misera mortalium conditio! Febris scarlatina raro vitae iacturam aegris facit; sed quam saepe

pe

pe huius ruinae variolarum & purpurae albae morbus inhiant! Febris pestilentialis aliquando velut in momento temporis occidit aegros. Gonorrhœa maligna aut fluor albus malignus faeuit in partibus genitalibus, quum lues venerea perfecta in vniuerso corpore crudelitatem exercet suam.

§. XL.

Si itaque verum sit, in morbis sub eodem genere comprehensis dari diuersas eorum extensiones, vt etiam diuersi gradus iis competant necesse est. Id autem de morbis malignis praedicari posse ex §. anteced. patet. Hinc ergo extra omne dubium erit propositionis veritas, diuersas nimirum possibiles esse in morbis malignis gradationes.

Ab effectu ad causam omnino valet conclusio (per princip. log.). Hic concludendi modus quam maxime in semioticis obtinet. Sed multum etiam tribuendum erit in hac re determinationibus aegrorum indiuidualibus.

§. XLI.

Gradus malignitatis aestimaturum necesse erit attendere ad vehementiam symptomatum & tempus, quo extensio eorundem absoluitur. Morborum enim malignorum vis in fluidorum praecipue fluidi lymphatico-serosi deprauatione siue putrefactione consistit, vnde generatur miasma. Quo maiores autem in corpore putrefactionis effectus conspicui sunt, quo minus est temporis spatium, quo incrementum morbo superuenit: eo maior quoque erit morbus. Oppositorum oppositae sunt rationes. Quo maior itaque

que temporis intercapedo est in morbo maligno, in qua putrefactionis effectus eiusque potissimum distributio per corpus perficitur: eo minor quoque in eodem obtinet malignitatis gradus.

Principium hocce firmo veritatis stat talo. Ponamus enim adesse in diuersis subiectis morbos malignos, sed vno eodemque tempore ortos, alterum ex his praeter fluida iam penitus corrupta solidorum etiam conueniri destructionem, in quibusdam locis erosionem, in aliis autem sphacelationem subortam, haecque omnia in certo quodam tempore per vniuersum fere corpus propagata fuisse: alterum denique deplorare tantum status fluidorum mutationem, corruptionem eorundem, exanthematum & congestionum maiorum molestias; nonne quaesito ex diuersis hisce effectibus ad gradum eminentiorem vel minorem malignitatis concludas? Nonne qualitas miasmatis cum eius quantitate maiore magis per totum corpus distributa, vel minore, horum phaenomenorum causa erit?

§. XLII.

Differentes autem malignitatis gradus pendere possunt etiam a diuersa miasmatis quantitate. Posita etenim diuersa eius quantitate, diuersa quoque actio in fluida & solida etiam poni debet. Minor igitur quantitas sub certo temporis interuallo minorem putrefactionis effectum, sed sub eodem tempore, maiorem edere actionem maior miasmatis quantitas oportet.

§. XLIII.

Sed diuersa etiam qualitas materiae malignae causa quoque diuersorum effectuum esse poterit. Experimenta

ta

ta a doctissimis nostri aevi viris cum variis materiis putridis variorum morborum malignorum instituta, & antiquorum etiam observationes docuere, variare mirum quantum mixtionem fluidorum huiusmodi putridorum in aliis atque aliis morbis malignis. In quibusdam terra calcarea, in aliis phlogiston, in aliis autem acidum volatile eminent. Sed haec omnino peculiarem quoque agendi aptitudinem massis hisce conciliant. Nonne enim miasma, in quo praedominium habet phlogiston, omnium maximam ad agendum aptitudinem habebit, quia subtilissimum est. Illud denique miasma, in cuius mixtione plurimum acidi volatilis continetur, arrodendo potissimum partes solidas virtutem suam exercebit. Hoc tandem miasma, quod terram calcaream maiori fouet copia, inter omnia maximam habebit inertiae vim. Caue autem B. L. putes me in §. anteced. vniuersaliter aut absolute aliquid confirmasse, quod omnino vel nostris etiam repugnaret principiis. Fateor enim eandem quantitatem miasmatis diuersos in aliis aliisque subiectis edere posse effectus. Poterit enim vero adesse impedimentum, quod in ipsa corporis dispositione latet. Hoc autem actionem materiae malignae vario modo modificandi facultate esse praeditum nullus dubito. Eximia hic est laus *Viri Celebrissimi Doctoris NIETZKI* Praeceptoris ad vnam colendi. Diligens hic strenuusque obseruator in praelectionibus suis diuersa experimenta in fauorem atque emolumentum Auditorum suorum saepe instituit diuersis cum massis putridis corporis humani viui. Sed quum enumeratio ho-

D

rum

rum nimis longa foret, Pathologiam summi viri iam in lucem prodituram testem compello.

§. XLIV.

Sed dandum etiam aliquid puto fluidis, vbi praecipue vim suam massa putrida exereet. Diversemodè haec vis miasmatis atque effectus pro varia sua constitutione modificant. Sic in fluido tenaci ob maiorem huius cohaesionem adeoque & maiorem resistantiam fere ad agendum redditur iners. Sit autem fluidum tenue, nonne tum in hoc ob minorem quam exferit resistantiam vehementius agere potest; in fluido denique partibus salinis abundante maius certe incrementum vi massae malignae accedit. In fluido, quod rapido flumine per vasa mouetur, neque tam magnos nec tam diu durantes edere poterit effectus. Celeri enim cursu miasma ex loco in locum motum facilius penitus eliminari poterit. Patet igitur ex his etiam a diuersa qualitate miasmatis diuersos malignitatis gradus originem suam trahere posse.

§. XLV.

Morbi in genere vel vniuersales sunt vel particulares. Illi vniuersum corpus, hi tantum partes quasdam corporis occupant. Id, quod de omnibus morbis generaliter praedicatur, conuenit etiam morbis malignis. Hinc morbos malignos pariter in vniuersales & particulares diuidere licet.

§. XLVI.

In morbo maligno vniuersali maior malignitatis obtinet gradus, quam in morbo maligno particulari. Quo plures enim functiones corporis humani laesae sunt; eo
ma-

maior aderit morbus, praecipiente Pathologia. Sed si uniuersum corpus succubuerit morbo maligno, maior quoque functionum dissensus ratione suae conseruationis adfit oportet, hinc & maior malignitatis gradus. Sed ex alio etiam fundamento veritas asserti nostri probari potest. A quantitate maiore miasmatis ad maiorem malignitatis gradum concludere licet (per §. XLII.). Putrefactio autem per totum corpus diffusa malignae materiae maiorem copiam supponit, ergo & gradum malignitatis iusto maiorem. Effectus enim causae suae semper debet esse proportionalis (per princ. ontolog.)

§. XLVII.

Ex his, quae iam iam in medium sunt prolata, mea quidem sententia elucescit, causam maioris vel minoris extensionis in morbis malignis ad duo imprimis redire momenta I. Fluidum enim continuo motu per vasa transficiens materiam illam malignam per omnes corporis partes diffundere potest; hac tamen lege, vt id eo citius faciliusque eueniat, quo maior in fluido adest rarefactio. II. Spissum autem fluidum inclusum certis vasorum plexibus miasmate infectum illud retinet. Ineptum hoc fluidum motui non, vel difficulter tantum, obediens, miasma aliis communicare partibus haud poterit. Haeret itaque hic eo vsque, donec tandem eliminetur, si conditio loci faueat excretioni, vel obuolutum viscedine, aut penitus immutatam, temporis lapsu iners, suam seruabit sedem. Vera itaque est propositio, extensionis morborum malignorum diuersitatem in diuersa fluidorum consistencia esse quaerendam.

§. XLVIII.

suauabit nunc penso addere assem. Namque hæc-
 tus generalia principia excussa sunt, quæ in diiudicatio-
 ne morborum malignorum eximum præstant usum.
 Nunc officii nostri erit, applicatione theoriæ ad casus sin-
 gulares illam magis magisque in gratiam eorum illustra-
 re, quibus hæc non satis apta ad cognoscendos maligni-
 tatis gradus in morbis malignis videntur. Qui plura de
 hac materia flagitat, hunc non poenitebit clarissimorum
 virorum libros adire. Nobis sufficit ea enumerasse, quæ
 in omne illustrandæ theoriæ nostræ sufficiunt. Pro-
 gredior ad executionem illorum, quæ iam iam pollici-
 sus sum.

§. XLIX.

In §§. antecedentibus stabilitum est principium, cuius
 ductu malignitatis gradus diuersos nobis repræsentare
 possumus. Magnitudo nimirum graduum iuxta ean-
 dem propositionem erat in vniuersa ratione ad tempus,
 in quo distributio putrefactionis absoluitur, habita simul
 extensionis symptomatum ratione. Sed ex superioribus
 aequè patet, maius temporis spatium requiri ad distribu-
 tionem miasmatis per vniuersum corpus in morbis mali-
 gnis chronicis, quam in acutis. Quia denique morbi
 acuti semper celerius decurrunt; maiori tamen vitæ peri-
 culo stipati; morbus autem, qui breuior, eo maior est
 eo, qui diu durare solet (per princ. Pathol.), etiam exinde
 patet, morbos acutos malignos chronicos malignitate lon-
 ge superare.

Notio morbi acuti maligni non aliis morbis, quam
 fe-

febris acutis malignis competit. In his summa humorum rarefactio a causa sibi respondente producta summum vitae facit periculum, unde saepissime aegri his febribus tosti breui diem obeunt supremum. Pestis febrisque petechialis id apprime demonstrant. Magnum autem interest discrimen inter morbum acutum atque malignum.

§. L.

Scorbutus non tanta praeditus est malignitate, quam febris petechialis. In scorbuto enim adest quidem putrefactio in massa sanguinea, ita tamen comparata, vt lente procedat. At in febre petechiali adest summa humorum rarefactio, quae celeriter fit, adest putrefactio, vehementissimis comitata symptomatibus. Sed ex extensione morbi gradum eiusdem determinare licet, hinc veritas asserti in aprico posita est.

§. LI.

Pestis est morbus malignus, qui malignitate superat purpuram rubram. In peste enim omnia, quae sensibilia tantum sunt, maiorem morbi arguunt gradum. Summa virium prostratio, angores praecordiorum omnium maximi, carbuncolorum eruptio aequae ac bubonum pestifentialium, & subitanea saepe mors testimonium certissimum praebent, pestem prae purpura rubra, vbi mitiora symptomata cernis, omnino praeualere.

§. LII.

Febris catarrhalis maligna maiorem prae se fert malignitatem quam scabies. In scabie reperitur putrefactio fluidi lymphatico-serosi, sed leuior & diu durans. E contrario

trario autem febris catarrhalis, si symptomatum species magnitudinem, longe superat scabiem, & cito decurrit, vitae in discrimen aegrum collocans. Praeterea scabies inter morbos malignos chronicos, febris autem catarrhalis inter acutos refertur. Morbos malignos acutos maiorem quam chronicos malignitatem prae se ferre, supra demonstratum est. Quapropter etiam febris catarrhalis maligna morbus malignus scabie maior erit.

§. LIII.

Vastissimum hic B. L. inuenirem campum, si peruagare illum esset animus, cum tamen me palantem potius in hoc agro reuocet instituti mei consilium. Adduxi omnia, quae mihi ex theoria graduum malignitatis innouere. Id quidem vltro fateor, multa adhuc superesse, quae de hac materia, cuius tantus est ambitus, dici possent. Sed haec in genere sufficere in animum mihi induxi. Nunc nihil mihi magis cordi est, quam aliquantis per inhaerere Therapiae horum morborum. Quidquid autem hic profero, id argumento habere velis L. B. quod theoria certis superstructa principiis in praxi felices imo ter quaterque beatos faciat Medicos!

CAPVT TERTIVM.

DE METHODO MEDENDI DIVERSA IN MORBIS
MALIGNIS CHRONICIS ET ACVTIS.

§. LIV.

Illud esse Therapiae officium, vt circa morborum medelam versetur, qui ignoret scio neminem. Eius itaque interest, vt statum in obosum vel plane tollat, vel mitiget
tan-

tantum, si radicalis morbi sublatio non sit possibilis. Sed non est eadem omnium morborum malignorum indoles. Alii enim chronici sunt, alii denique acuti. Diverſi itaque adhibendi modi diverſo cuique corporis ſtatu accommodati.

§. LV.

Eliminatio putridi e corpore in omnibus morbis malignis primaria erit indicatio. Quoniam cauſſa effectuum, qui malignos comitantur morbos, putrefactio fluidi lymphatico-feroſi eſt: facile patet, putrido e corpore pulſo affectus ceſſare debere, quorum fomes omnino erat exitioſus.

§. LVI.

Positivæ reſolventia in morbis malignis chronicis cuiuſcunque ſpeciei adhiberi, ſed vitari in acutis malignis angue peius & cane debent. Namque in morbis malignis chronicis fluida ſunt viſcida & inſpiſſata. Viſciditati humorum omnium optime conſulimus reſolventium uſu (praecipiente Therapia), inter quae illa, quae poſitivæ reſolvent, pituitam, craſſam, tenacem optime diſſolvent. Ergo poſitivæ reſolventia in hoc capite omnibus reliquis praeripiunt palmam. Neceſſariam autem eſſe in his reſolutionem, probat §. anteced. Excuffio enim miſmaſmatis inhaerentis fluido ſpiſſo eiusque correctio fieri haud poterit antequam fluidum ſit reſolutum aptumque ad perme-

E

me-

meandos canales. In morbis vero acutis malignis prospicere Therapeuta praecipue rarefactioni humorum eorumque motui aucto debet. Liberum quippe hic miasma rapide per vasa mouetur, vnde illae lacrymae. Cicurandum igitur miasma liberum atque e corpore deinceps excernendum erit, ne ebullitionem sanguinis tristes sequantur effectus. Optime autem id impetrari poterit vim salis absolutam minuendo vel dilutione vel obuolutione eiusdem. Hinc aqueorum cum acidis iunctorum, terreorum, mucilaginosorum blandeque diaphoreticorum vsus erit eximius.

Acidorum vsus B. L. hic non aliam ob causam commendatum iui, quam vt iis obtineatur ebullitionis decrementum. Non enim adeo oblitus Chemiae sum, vt nesciam, acida pariter putrefactionem concitare posse. Resoluunt enim massam humorum saliaque in compage illius latitantia liberant, & in partes oleosas agunt, vnde non poterit non esse clarum, facile tandem hanc actionem subsequi posse putrefactionem. Hinc etiam oportet acida parca manu & non nisi mucilaginosi vel aqueis mixta propinare aegris. Praeterea quum antecedentes paginae iam euictum sistant, in morbis malignis adesse alcali, non nimis a vero aberrabit, qui sibi persuasum ir, acidorum interuentu immutari salium speciem; vim itaque eorum cum sal medium generetur, mirum quantum imminui. Sed de
pos

possibilitate huius metamorphoseos plurimi Medicorum dubitant.

§. LVII.

Balsamica medicamenta in morbis malignis vsurpanda erunt, ea tamen lege, vt in malignis acutis blandissima adhibeantur, in malignis chronicis autem paullo fortiora. Illud enim medicamenti genus reformidant morbi acuti maligni, quod potentius resoluit, (per demonst. §. anteced.) Chronici autem resolutentia poscunt. Quum autem putrefactio humorum in acutis & chronicis quoque malignis adfit, huicque resistere sit necesse: hinc clarum est, balsamica prodesse in vtrisque morbis malignis, sua tamen cum cautela ministrata.

§. LVIII.

In omnibus morbis malignis motuum febrilium habenda est ratio. Enim vero in morbo maligno acuto manifeste adest febris (per superius demonstrata). In morbo maligno autem, qui chronicus est, motus adsunt febriles; igitur patet, antifebrilia inseruire in omni morbo maligno, nullo ad eius differentiam specificam habito respectu.

§. LIX.

Medicum oportet aegris vitae regimen congruum praescribere, iubere fugam omnium, quaecunque mor-

bi acuum vim, & ea potius amplecti, quae energiam eius infringunt. Obtundunt enim diaetae vicia medicamentorum quantumvis optimorum virtutem, eamque obliterant.

§. LX.


Sed tempus est, vt omne finiam opus. Multa quidem superesse non ignoro, quae attentionem nostram eamque summam merentur. Sed nostrum non interest; specialiora tractare; generalioribus potius supersedemus. Sistimus itaque gradum, atque bona L. B. cum venia tractationi singularium facimus finem.





PICA





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
DIFFERENTIA GRADVALI
MORBORVM MALIGNORVM

QVAM
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

D. ANDREA NUNN

SACRI PALAT. CAESAR. COM. P.
ET ASSESSOR. PRIMAR. ORDIN.
ACADEM. ELECTOR. MOG.
ASSESS. ORDINAR. CIV.
CONSULE A.

PRO GRADV
LEGITIME I.

DIE XX.

H. L.

PVBlice I.

AVTOR ET R.

MARTINVS GOT

CORGNA-TRANS

ERFORDIAE

STANNO NONNIA

